

declarat delinquenti fore ut hac vel illa censura ligetur nisi resipiscat. Atque haec monitio ter repetenda est, labentibus inter singulas monitiones saltem duobus diebus, quamquam, ubi justa causa adfuerit, sufficit una monitio quae pro tribus valere significetur ac propterea peremptoria dicitur, seu sex dies ad resipiscendum dentur, seu, causa urgente, brevius tempus concedatur. Haec communiter deducunt DD. e c. *Constitutionem*. (6ⁱ Decr. l. 5. t. II) Nullo autem certo jure requiritur ut monitio canonica in scriptis fiat. (Ball. P. n. 184)

3^o Quae modo diximus de formalitatibus quas Jus Canonicum censurae praemitti jubet, servanda sunt etiam ubi Jus comminatur censuram quae sit tantum ferendae sententiae. Etenim in cit. c. *Reprehensibilis* jubetur indistincte praemitti canonica monitio "nisi forte talis sit culpa quae ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat, „Quae verba non convenient casibus in quibus censura non ex ipsa culpa, sed tantum e sententia judicis oritur. (Reiff. l. c. n. 26) Quare deserenda videtur sententia contraria, quam S. Alph. (n. 55) probabiliorem vocat. Neque monitionem omitti posse censemus quando delictum et contumacia sunt notoria, ut plures excipiunt, ex. gr. Reiffenstuel (l. c. n. 27), allegatis rationibus quae potius spectant ad declarandam censuram qua quis jam ligatus sit. (Cfr. Ball. P. n. 166 seqq.)

4^o Quamquam graviter peccat Superior qui sciens volens praedictas formalitates notabiliter neglegit, nullo jure sancituni est censuram propter tales omissiones fore semper invalidam. Hoc contingeret tantum si quid omittetur quod contumaciae inducande necessarium sit, nempe unica saltem admonitio, vel quod omitti nequeat sine injustitia manifesta, vid. ut reus citetur et ad sui defensionem admittatur. (Suar. de Cens. disp. 3. sect. 12. n. 3; Reiff. l. c. n. 37)

5^o Censura sub gravi ferenda est *in scriptis*, ut patet e c. *Cum medicinalis* (6ⁱ Decr. l. 5. t. 11), quo graves poenae imponuntur judicii qui aliter facere praesumpserit. Nihilominus censura ore tenus lata valet. (D'Annib. I. n. 329)

S 4. QUAENAM A CENSURA EXCUSENT.

570. I. A censura excusat **ignorantia** sive facti, sive juris, sive ipsius censurae: ignorans enim caret contumacia. Ab eadem tamen non excusat ignorantia crassa seu supina. Hanc bipartitam regulam omnes DD. deducunt ex c. *Ut animarum* (6ⁱ Decr. l. 1. t. 2): "Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. „Nam, licet in hoc textu de Ordinariorum tantum

sententiis mentio fiat, DD. merito principium istud, aequitatis plenum, etiam RR. PP. legibus applicandum existimant.

Hinc a censura excusat quaelibet ignorantia, quae non sit graviter culpabilis. Sed inter DD. controvertitur utrum quaelibet ignorantia graviter culpabilis dicenda sit crassa, et consequenter sufficiat ad censuram incurrendam, an crassa dicenda sit tantum ea quae oriatur e negligencia gravissima, seu cum gravi excessu conjuncta sit. Pro priore sententia stat S. Alph. (n. 45) post Suar. (de Cens. disp. 4. sect. 10. n. 12) aliosque; posteriore turgent Sanch. (de Matrim. l. 9. disp. 32. n. 31). Ball. P. (n. 158 seqq.), etc. Hanc posteriorem sententiam in praxi applicare licet, cum in odiosis minimum tenendum sit. Opinamus tamen priorem esse veriorem: siquidem R. P. non est supponendus can. cit. introduisse in argumentum practicum distinctionem quae potius mera subtilitas dicenda sit, cum nemo determinare possit quomodo differat ignorantia graviter culpabilis ab ea quae cum gravissima negligencia conjuncta sit.

II. Quando censura fertur cum specialibus clausulis, vid. contra eos qui aliquod peccatum *scienter* vel *ausu temerario* fecerint vel facere *praesumpserint*, ab ea incurrenda excusat ignorantia etiam crassa: nam certe minorem reatum inducit quam plena scientia.

Controvertitur autem num a tali censura excusat ignorantia affectata. Negantem sententiam tamquam communiorem sequitur S. Alph. (n. 48): quia ignorantia affectata includit dolum formalem et aequivalet scientiae. Affirmantem vero propugnant Sanch. (in Dec. l. 2. c. 10. n. 38), Ball. P. (n. 154), etc.; quia in odiosis, ubi requiritur ad poenam incurrendam scientia *formalis*, non est censendus eam incurrisse qui scientiam legis *aequivalenter* tantum habet. Hanc sententiam ducimus probabiliorem.

571. III. Ab incurrenda censura excusat *oblivio* vel *inadvertentia*, perinde atque ignorantia habitualis. (Suar. de Cens. disp. 6. c. 2. n. 12) Etenim adversus Ecclesiae legem contumax dici nequit qui ad eam non attendit. Cfr. Vol. I. n. 16. Attamen, ubi agitur de censura quam delinquens optime novit, vix fieri potest ut ad eam nullatenus advertat, saltem dum se ad delictum committendum accingit; neque ad eam incurrendam requiritur ut in actu physico peccati, puta duelli, percussonis clerici, etc. de ea cogitet.

IV. A censura excusat quoque *metus gravis*. Nam si censura adnectitur legi positivae, haec, ob incommode grave per accidens ortum, obligare desinit (Vol. I. n. 114); si vero adnexa est legi naturali

vel divinae negativae, manet quidem peccatum, sed deest contumacia, eo quod metum passus potius ob naturae infirmitatem quam ob voluntatem obstinatam peccat. (Ball. P. n. 158 seqq.) Attamen excipiendus est casus quo commune bonum religionis aut morum postulat ut, non obstante metu, lex obligare pergit, etiam quatenus poenam irrogat. Exemplum notissimum habes in eo qui metu gravis mali duellum acceptat. (n. 595)

V. Appellatio excusat ab incurrienda censura, si quis contra eam nondum absolute, sed condicione tantum latam seu comminatam, legitimate appellaverit (Decr. l. 2. t. 28. c. 40); eadem non excusat a censura quae jam absolute laeta fuerit. (6ⁱ Decr. l. 5. t. 11. c. 20)

572. VI. Censuram non incurrit is contra quem lata est **per sententiam injustam**, sive desit causa ob quam juste possit censura ligari (n. 568), sive talis causa subsistat quidem, sed in foro externo probata non fuerit. Attamen regulariter publice gerere se debet ac si censura reapse ligatus foret: nam plerumque sine scandalo aliter fieri non posset, cum videretur contemni auctoritas legitimi Superioris. Secreto autem et secluso scandalo, non tenetur ad censuram, quae reapse nulla est, observandam. Sed haec intellegenda sunt de injustitia manifesta, non autem de dubio, in quo legitimo Superiori omnino parendum est. Cfr. Reiff. in l. 5. Decr. t. 39. n. 38 seqq.

VII. Ab incurrienda censura probabilius excusat recessus de contumacia ante tempus quo, juxta sententiam vel legem, incurritur. (Salmant. de Cens. c. 1. n. 153; S. Alph. n. 40) Illum autem intellegimus a contumacia recessisse qui animum retractaverit, et modo quo potuerit effectum impediverit (D'Annib. I. n. 333. nota 23), etiam sine attritione, quia habitus gratiae non facit ut effectus ille minus a voluntate pendeat. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 444)

Hinc probabiliter non incurrit censuram latam contra procurantes abortum, effectu secuto (n. 608), is qui ante foetus ejectionem animum retractat eamque impedire conatur. Pariter excusatitur a censura contra mandantes occisionem episcopi lata (n. 588. V), is qui ante mandati exsecutionem illud revocare conatur, licet revocatio mandatario innotescere non potuerit. (S. Alph. n. 40)

§ 5. QUIS POSSIT ABSOLVERE A CENSURIS.

573. I. Censura proprie dicta (n. 563) numquam desinit sine absolutione. Constat ex Jure Canonico (Decr. l. 5. t. 39. c. 28) et damnata ab

Alex. VII prop. 40^a: "Quoad forum conscientiae, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censurae." Excipe, si censura irrogata fuerit sub condicione resolutiva, et haec impleta fuerit: tunc enim absolutio implicite continetur in sententia qua fertur censura.

II. A censura lata **per sententiam particularem** in personam determinatam absolvere possunt, ordinarie seu extra mortis articulum, tantum:

1^o Qui eam tulit, idque etiamsi censuratus jam domicilium mutaverit, vel in propriam dioecesim redierit; immo in his casibus ab episcopo novi domicilii vel propriae dioecesis absolvi nequit. (Ball. P. n. 204)

2^o Censurantis Superior, dummodo pleno jure sit talis. Ideo Archiepiscopus nequit absolvere subditos suffraganeorum suorum, nisi tempore visitationis, vel si causa ad ipsum per appellationem devoluta fuerit.

3^o Censurantis successor.

4^o Delegatus ab uno e praedictis.

III. A censura lata **a jure communi** vel **ab homine per sententiam generalem** in personas indeterminatas, si non sit reservata, potest absolvere quisvis, qui censuratum potest absolvere a mortalibus. Id communiter deducunt DD. ex. c. Nuper (Decr. l. 5. t. 39), ubi Innoc. III dat hanc generalem rationem: "Quia conditor canonis ejus (sententiae) absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi." Hanc absolutionem confessarii dare possunt tam intra quam extra confessionem.

Probabilius valet hujusmodi absolutio pro foro externo, siquidem Innoc. III (l. c.) eam minime ad internum coartat. (S. Alph. n. 70) Attamen, si censura publica seu notoria est, non licebit publice uti absolutione, antequam etiam de hac publice constet. Constat autem si publice innotescet censuratum confessum esse habent facultatem absolvendi et satisfactionem, si qua requirebatur, exhibuisse: nam ita cessabit periculum scandali. (Suar. de Cens. disp. 7. sect. 5. n. 29)

574. IV. A censura **reservata** absolvere nequit **ordinarie** nisi is, qui eam sibi reservavit, vel ejus Superior pleno jure, aut successor, aut ab uno ex his delegatus.

Sed *in articulo mortis* quilibet sacerdos (Cone. Trid. Sess. 14. c. 7) a qualibet censura absolvere potest eadem ratione ac dictum est (n. 346. II) de casibus sine censura reservatis. Excipienda tamen suspensio, quia Trid. (l. c.) cavet his tantum quae animarum intersunt. (D'Annib. I. n. 349. nota 44) Insuper ex const. Apostolicae Sedis 12 Oct. 1869,

firma manet quoad absolutos ab excommunicationibus specialiter. Sed Ap. reservatis obligatio *standi mandatis Ecclesiae*, si convaluerint. Obligationem hanc, quam alii aliter interpretabantur, S. Inqu. 19 Aug. 1891 declaravit imponi sub pena reincidentiae in eamdem excommunicationem et "importare onus sive per se, sive per confessarium, recurrendi ad S. Pontificem ejusque mandatis oboediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pont. speciali modo reservatis." (N. R. Th. t. 24. p. 166) Nullus vero recursus necessarius est ei qui, in eodem articulo, a simpliciter reservatis censuris absolutus fuerit. (S. Inqu. 17 Jun. 1891; Coll. P. F. n. 2171)

In casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, confessarii quilibet dare possunt absolutionem, injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo R. P. reservatis (1), sub pena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi poenitens saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii, recurrit ad S. Sedem. (S. Inqu. 23 Jun. 1886 et 17 Jun. 1891; Coll. P. F. nn. 1012, 2171) Attamen, ubi sic absolvitur poenitens qui iterum non ocurreret, ex. gr. occasione missionis, sufficit ab eo exigere promissionem scribendi, tacito si vult nomine, ad S. Poenit. intra mensem et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat. (S. Poenit. 7 Nov. 1888; Coll. P. F. n. 1013) Hic autem recursus, qui faciendus est ad S. Sedem postquam a censura eidem Sedi reservata aliquis absolutus est a simplice sacerdote in casu urgentiori, potest fieri ad episcopum vel ad Vicarium generalem, si episcopus facultates absolvendi a reservatis habeat, non vero ad alium confessarium qui easdem obtinuerit. (S. Off. 10 Dec. 1900) Quod intellegendum est de recursu extra-sacramentali; nam si poenitens sic absolutus velit apud sacerdotem talibus facultatibus instructum confiteri denuo peccatum et ab illo absolvitur, apparet nullam jam ad quemquem recursum esse faciendum. Adverte poenam reincidentias ferri etiam contra eos, qui a simpliciter reservatis absoluti fuerint. (S. Inqu. 17 Jun. 1891) Insuper, ex resp. cit. 19 Aug. 1891, absolutio haec directa est, ideoque dubitari nequit quominus accusandum sit peccatum reservatum.

(1) Attende non esse ab ista facultate excipiendos casus Bullae *Sacramentum Poenitentiae*; hi solent quidem propter severissimam reservationem (p. 354. V) a Theologis dici *specialissime reservati*, sed talis denominatio in ipso Jure non reperitur, ac proinde ad eos extendi potest facultas data pro casibus specialiter S. Sedi reservatis, nisi contrarium constet. Attamen si quis, in casu urgentiori absolutionem daret sacerdoti qui complicem absolvisset, eidem imponere deberet ut jam statim a confessione complicis accipienda abstineret vel, si id absque scandalo facere non posset, aliis saltem remediis severioribus periculum novi lapsus praecaveret. (Pennacchi, op. cit. t. II, p. 615)

Tandem quaecumque modo dicta sunt de facultate absolvendi in casibus vere urgentioribus, ex rescripto S. Inqu. 18 Jun. 1897 (Act. S. S. t. 30. p. 124) extendi possunt ad casum quo nec infamia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis. Merito autem videri potest durissimum manere in peccato per unam diem.

575. V. Extra casus modo (IV) explicatos, jam simplex confessarius absolvere nequit a censuris R. P. reservatis eos qui impediti sunt, etiam in perpetuum, quominus R. P. adeant; sed recurrendum est, saltem per litteras, ad Majorem Poenitentiarium vel ad episcopum, si iste habet facultatem a casu de quo agitur absolvendi. Ita respondit S. Inqu. 23 Jun. 1886 et 17 Jun. 1891. Immo 30 Jul. 1886 (Coll. P. F. n. 2171) declaravit tuto doceri jam non posse sententiam quam multi antiqui et recentes Theologi tenebant: "ad episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casum et censurarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem." Et 30 Martii 1892 iterum respondit: "Decretum diei 23 Junii 1886 omnino obligare primumque contrarium tolerandam non esse." Quare jam inter recentiores scriptores nemo est qui suam probabilitatem antiquae praxi manere contendat.

Haec obligatio recurrendi Romam, saltem per epistolam, viget etiam pro casu qui, absque censura, specialiter Rom. Pont. reservatus est (n. 400), ut declaravit S. Poenit. 7 Nov. 1888. Neque ab ea excusat generale periculum ne epistolae a Status civilis administris aperiantur, cum in precibus nomina et cognomina sint suppressa. (S. Poenit. ib.)

Attamen, juxta responsum S. Inqu. 9 Nov. 1898: "Quando neque confessarius neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiarium mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu liceat confessario poenitentem absolvere, etiam a casibus S. Sedi reservatis, absque onere mittendi epistolam." Hujusmodi casus contingere potest si poenitens scribere nescit, confessarius vero scribere nequit citra omne prorsus non improbabile evulgationis periculum, vel responsum a S. Poenitentiaria postea accipendum poenitenti communicare aut nullatenus aut non sine secreti periculo potest. Minime vero comprehenditur sub hac exceptione casus sacerdotis qui complicem absolverit, ut 7 Junii 1899 respondit S. Officium. Ratio est quod saltem poenitens in hoc casu scribere poterit ad S. Poenitentiarium, reticito si vult nomine; quod sufficit, juxta responsum S. Poenit. 7 Nov. 1888. (n. 574)

Insuper eadem obligatio scribendi non spectat ad censuras ab Ordinariis reservatas. Cfr. n. 347.

VI. Episcopis concessit Trid. (Sess. 24. de ref. c. 6) facultatem absolvendi in foro conscientiae delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipso aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis. Occultus autem censetur casus etiamsi per aliquos testes probari potest, dummodo neque notorius sit, neque talis ut nulla tergiversatione celari possit. Hanc facultatem confirmavit Pius IX (Const. *Apostolicae Sedis*), excipiens tamen ab ejus ambitu censuras speciali modo Sedi Apostolicae reservatas.

Ex Tridentini tenore liquet hanc facultatem exerceri non posse ab episcopo nisi cum *subditis*: quo nomine tamen probabilius veniunt etiam peregrini; quia, ex universalis consuetudine, censentur subditi episcopi in cuius dioecesi versantur, quoad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae, et consequenter quoad absolutionem ab excommunicatione quae ad haec sacramenta praeexititur et cum confessione conicitur. (Sanch. Dec. l. 2. c. 11. n. 9; Ball. P. n. 239 seqq.) Altera tamen facultas quam Trid. (l. c.) facit episcopis dispensandi in suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiousum, non potest exerceri cum peregrinis, etiamsi hi fungentes aliquo officio, puta medici, in ejus dioecesi commarentur, ut declaratum est a Gregorio XIII. (S. Alph. l. 6. n. 593) Quid praecise intenderit Trid. verbis *in dioecesi sua* non satis convenit. Alii putant requiri ut episcopus sit in dioecesi, alii ut dispensandus in ea versetur. Practice sat erit alterutrum in ea versari. (D'Annib. I. n. 346; Ball. P. n. 250) Tandem verba *in foro conscientiae*, alii (S. Alph. l. c.) ita explicant ut episcopo licaret tantum intra confessionem absolvire; alii (Lugo, de Fide, disp. 23. n. 64; D'Annib. l. c.) probabilius censem per ea tantum denegari absolutioni effectus in foro externo.

Praeter hanc quasi-ordinariam potestatem, solent episcopi habere a S. Sede facultates temporaneas absolvendi, per se vel per alios, etiam a casibus specialiter R. P. reservatis, nulla distinctione facta inter casus occultos et casus notorios. Practice igitur qui facultate absolvendi indiget, fere semper ab episcopo intentum obtinere poterit.

576. VII. Regularibus jam nullum competit perpetuum privilegium absolvendi a censuris R. P. reservatis: quaecumque enim privilegia hujusmodi concessa fuerant, Pius IX Const. *Apostolicae Sedis* expresse revocavit. Quin etiam ipsos subditos suos ab his casibus absolvere nequeunt Praelati Regulares, ut respondit S. Poenit. 5 Dec. 1873. (Ball. P. n. 252) Solent tamen Regularibus facultates absolvendi a casibus Pontificiis concedi ad tempus: quatenus his facultatibus uti possint

tum erga suos, tum erga extraneos, singuli videant e tenore communicationis sibi factae.

VIII. In privilegiis quibuslibet a S. Sede datis numquam comprehenditur facultas absolvendi a censuris R. P. reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit. In generali vero concessione absolvendi a casibus et censuris R. P. reservatis non includitur facultas absolvendi a censuris specialiter reservatis. Ita diserte statuit Pius IX Const. cit.

IX. Qui ab episcopo accepit facultatem absolvendi a casibus reservatis, probabilius absolvire potest etiam a casibus dioecesanis reservatis cum censura, nisi episcopus contraria mentem suam authentice, ex. gr. in folio facultatum confessariis tributarum, manifestaverit. (1) Contrarium quidem opinantur plures, ex. gr. S. Alph. (l. 6. n. 111) et Gury. (II. n. 953) Sed, ut recte advertit D'Annib. (I. n. 347. nota 16) cum Suar. (de Cens. l. 7. c. 4. n. 13): recepto et usitato more loquendi, nomine casuum reservatorum et illi veniunt qui censuram habent adnexam. Sic et Trid. pluries, ex. gr. Sess. 14. de Poenit. c. 7. casuum appellatione et peccata et censuras manifeste comprehendit, et eodem sensu loquuntur RR. PP. in Bullis suis, ex. gr. Bened. XIV in Const. *Inter praeteritas* (§§ 17, 25, 26, 51) pro Jubilaeo an. 1750 edita.

X. Facultas delegata absolvendi *ab omnibus censuris* probabiliter complectitur etiam suspensionem et interdictum quae per modum poenae, non autem censurae proprie dictae irrogantur, quia talis facultas late interpretanda est: immo id prorsus certum videtur quoad suspensiones et interdicta quae in Bulla *Apost. Sedis* continentur, in qua omnia censurarum appellatione, lato licet sensu, significantur. (D'Annib. I. n. 358)

§ 6. CUI ET QUOMODO DANDA SIT ABSOLUTIO A CENSURIS.

577. I. Spectata rei natura, absolvit potest a censura absens, immo et invitus: quia, sicut poena in absentem et invitum potest statui, sic et auferri. (Bus. ap. S. Alph. n. 117) Qui vero contumax manet, vid. quia peccatum ob quod censura ligatus est habet tractum successivum, ex. gr. adhaerere sectae franco-muratorum, valide absolvit nequit, nisi

(1) Ita factum est in Archid. Mechlin. ut patet e Stat. Mechlin. (n. 270. 7^o) et Tract. Mechlin. de Censuris, p. 147. Cfr. nostrum n. 43.